

pet, ac usu licet linguae carentem, a Surdio Cardinale abso-
lutm, noxis expiatum fuisse. Regios custodes ferunt, illico
parricidam configere aggressos, inhibitos, hominemque vivum
servare jussos.

Ejus atrocissimi casus xi. kal. junias, dum Senatus cogere-
tur, Gregorii Barbadici, apud Carolum Sabaudum legati,
literis est allatus: Antonii Foscareni, apud Henricum orato-
ris, paulo post confirmarunt. Dici non potest, quam ejusmo-
di nuntio Patres attoniti fuerint: stupore veluti defixi hære-
re, vix animo inexpectatae & acerbissimæ necis eventum ca-
pere. Qui Henrici infaustum obitum dolerent, ad Sciampi-
gnium legatum a Senatu missi, Franciscus Molinus, superio-
ris, Aloysius Fuscarenus medii ordinis, Equites ambo ac
Sapientes. Hi ingentem Senatus dolorem testati, quæcumque
a Republica ad Galliæ firmamentum ac dignitatem proficisci
possent, detulerunt. Sciampignius, gratiis habitis, in lachry-
mas effusus, Patrum mœrorem conduplicavit. Datæ insuper
eadem die a Senatu ad Ludovicum, Henrici filium, patri suc-
cessurum, atque ad matrem Reginam literæ, quarum senten-
tia erat: *Crudelis atque impii parricidii in Henricum perpe-
trati nuncio accepto, ingenti dolore percussum Senatum fuis-
se, quod Regem, omnium beroicarum virtutum exemplar, Gal-
liæ columen, Reipublicæ amicissimum, indigna adeo cæde per-
emptum intellexerit, ut nulla ratione mœrorem lenire ac
mitigare queat: dolere casum tanti Regis, magna atque
egregia meditantis, immaturo fato sacrilega manu exticti:
nullam certe parem huic jacturam Galliæ accidere potuisse:
sed quanto hæc graviora atque atrociora sunt, tanto magis
ab animi virtute ac prudentia petenda subsidia.* Magno
sane huic fortunæ telo aliquod solatium Senatui afferre, quod
ab Henrici filio, patris vera imagine, amplissimi regni gu-
bernacula suscipienda sint, qui licet nondum firma ætate ac
robore, matris tamen felicissimis auspiciis sperandum, ut,
depulsa tetra bac, que publicæ felicitati offusa videba-
tur, caligine, brevi cuncta felicia iis ac prospera eveniant:
*id ē Senatum vehementer optare, & omnia ad amplissimi
regni stabilitatem ac decus offerre.* Hæc summa literarum
erat. Fuscarenio oratori mandatum, ut literas oratione

*Venetorum
literæ ad
Ludovicum
Regem fi-
lium & ad
matrem.*